

# REGULA FALSI SIMPLICIS POSITIONIS.

## CAP. XXII.

**I**NTER alias Arithmeticae regulas non postremum locum obtinet regula falsi, quae sic dicitur, non quod falsum nos doceat, sed quod ex falso posito verum eruere ostendat: quod quidem efficit, ponendo quemvis numerum, qui propositae quaestioni putatur satisfactorius, licet re ipsa non satisfaciat. Haec autem regula duplex est. Quaedam enim vocatur simplicis positionis, in qua nimirum vnica fit positio vnus dumtaxat numeri, qui quaestioni creditur satisfactorius: quaedam vero duplicis positionis dicitur, in qua videlicet duplex fit positio duorum numerorum, quorum vterque quaestioni satisfactorius putatur.

Regula falsi cur sic dicta sit.

Regula falsi duplex.

Cæterum magnum est inter duas has regulas discrimen. Quicquid enim per priorem soluitur, id etiam per posteriorem explicari potest, non autem contra. Innumeræ enim propemodum quaestiones per posteriorem soluuntur, quæ nulla ratione per priorem possunt explicari. Nam sub priori continentur illæ tantum quaestiones, in quibus tales partes, aut numeri exprimuntur, qui eandem proportionem habent in parvis numeris, quam in magnis: quales sunt

Discrimen inter duas regulas falsi.

Nota.

$$\frac{1}{2} \cdot \frac{1}{3} \cdot \frac{2}{3} \cdot \frac{1}{4} \cdot \frac{3}{4}$$